



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Chronicon Cisterciensis Ordinis**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Privilegium Paschalis II, Papae, Cistertiensibus datum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11259**

## C H R O N I C O N

cauit, à quibus transisse presentium litterarum baiuli vobis presentes adstant, secundum prædecessoris vestri præceptum, & Lugdunensis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis tunc Legati & Coepiscoporum & Abbatum definitionem & scriptum, cuius rei nos presentes, & eius auctores cum aliis existimus, vos approbare, & ut locus ille Abbatia libera in perpetuum permaneat, salua tamen vestræ personæ, successorumque vestrorum canonica reuerentia, auctoritatis vestræ priuilegio corroborare dignemini. Sed & Abbas quem in eodem loco ordinauimus, & cæteri fratres totis viribus hanc confirmationem in suæ quietis cautelam à vestra flagitant pietate.

### P R I V I L E G I V M P A S C H A L I S I I, *Papa, Cisterciensibus datum.*

*Exstat* **P**ASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili *Alberico* noui monasterij Abbati, quod in Cabilonensi parochia situm est, eiusque successoribus regulariter instituendis in perpetuum. Desideriū, quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Vnde vos, o filij in Domino dilectissimi, citra difficultatem omnem, vestrarum precum petitionē admittimus.

*Exstat*  
*apud Ba.*  
*zonium*  
*cap. 12.*

timus.

imus, qui religioni vestræ paterno con-  
 gratulamur affectu. Locum ergò illum  
 quem inhabitandum pro quiete monastica  
 elegistis, ab omnium mortalium mole-  
 stijs tutum ac liberum fore sancimus, &  
 Abbatiam illius perpetuò haberi, ac sub  
 Apostolicæ sedis tutela specialiter prote-  
 gi, salua Cabilonensi Ecclesiæ canonica  
 reuerentia, roboramus. Præsentis itaque  
 decreti paginam interdiciamus, ne cuiquam  
 omninò personæ liceat statum vestræ con-  
 uersationis immutare, neque vestri, quod  
 Nouum dicitur, cœnobij monachos sine  
 regulari commendatione suscipere, neque  
 congregationem vestram astutijs quibusli-  
 bet, aut violentijs perturbare. Eam sanè cõ-  
 trouersia decisionem, quam inter vos Mo-  
 lismensis claustrij monachos, frater noster  
 Lugdunensis Episcopus, tum Apostolicæ  
 Sedis Vicarius, cum prouinciæ suæ Episco-  
 pis alijsque religiosijs uiris, ex præcepto  
 prædecessoris nostri Apostolicæ memo-  
 riæ *Vrbani* Secundi perpetravit, nos tan-  
 quam rationabilem ac laudabilem confir-  
 mamus. Vos ergò filij in Christo dilectif-  
 simi ac desideratissimi, meminisse debetis,  
 quia pars vestri sæculares latitudines, pars  
 ipsas etiam monasterij laxioris minus  
 austeras angustias reliquistis. Vt ergo  
 hac semper gratia digniores censeamini,

Dei semper timorem & amorem in vestris cordibus habere satagite: vt quantò à secularibus tumultibus & delicijs liberiores estis, tantò amplius placere Deo totis mentis & animæ virtutibus angeretis. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, Iudex, aut Ecclesiastica quælibet, Secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contrà eam venire tentauerit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sanctissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine destinatæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini Nostri IESV CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Datum Troiæ XIV. Kal. Maij, Indictione octaua, Anno 1100.

INSTITVTA MONACHORVM Cisterciensium de Molifmo venientium.

ANNO 1100. **D**EHINC Abbas Albericus, & fratres eius, nò immemores sponsionis suæ, regulam